



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

II. De Calumniatoribus. D. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

„strà confessionem suam ex eo prætextu
„impugnat, quòd super iisdem crimini-
„bus non fuerit antè infamatus, aut quòd
„Capitula inquisitionis non fuerint eidem
„tradita, sed puniendus est, prout justitia
„exigit. Ratio, quia per confessionem
propriam Rei in judicio factam crimen fit
notorium; ideóque tibi imputare debet
Reus, quòd non excipiendo contra illegi-
timationem Inquisitionis crimen suum
confessus fit.

Praxin formandi processum criminalem viâ Accusationis, Denuntiationis aut Inquisitionis, fusè tradit *Reiffenst. b. t. à n. 340. & seqq.* è quo prudens Judex spe-
ctatis circumstantiis facile videbit sub-
stantialia in eo observanda.

T I T U L U S II.


De Calumniatoribus.

I. **CALUMNIATOR** propriè est, qui falsa
crimina intentat, seu innocentem
per malitiam in judicium defert. *Præ-
sumptus* dicitur, qui crimen, de quo
aliquem accusavit vel denuntiavit, in
judicio, non probat; nam Actor para-
tas habere debet probationes; & hinc,
si in probatione deficiat, præsumi-
tur animo calumniandi litem movisse.

Hæc

Hæc tamen præsumptio admittit probationem in contrarium, ac concurrentibus circumstantiis & juramento animus calumniandi purgari potest, v. g. si delictum sit semiplenè probatum; aut præcedentem infamiam & indicia sufficientia ad inquisitionem quis docuerit, &c. præferunt si ex officio denuntiet, ut Fiscus. Quod arbitrio Judicis definiendum relinquitur.

2. Pœna Calumniæ (quæ à S. Athanasio in *Apolog. ad Constantiam* appellatur, peccatum diabolicum) jure civili est, ut calumniator ultra condemnationem in expensas ab Accusato vel Denuntiato factas notetur infamia & puniatur Talione. Olim *L. Rhemia* statuta fuit pœna inustionis frontis inscriptâ literâ K. quæ est prima calumniatoris. Jure Canonico h. t. c. i. & 2. Clericus calumniator privatur officio & beneficio. Unde ait *Wagn. b.t.* gravissimè peccant Superiores, qui accusatores & denuntiatores criminum non solum libenter audiunt, sed deprehensâ licet calumniâ impunes dimittunt, multosque innocentes opprimunt.



TITU-